



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Pars XVIII. De Æternitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

## EXERCITIORUM

## P A R S XVIII.

## De Æternitate.

## EXERCITIUM I.

*Quid sit, quod sit, quotuplex sit Æternitas?*

1. **S**Tatue te cum Davide Sancto, cogitante dies antiquos: & annos Æternos in mente habente: hoc est: Memoriã recolente, intellectu considerante: voluntate diligente, & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter. Nam eadem est tua, quæ & Davidis cum Æternitate causa, eadem conditio, eadem conservandi, ac negotiandi, demumque commanendi necessitas.

3. Transibunt Prophetæ Sancto, transibunt & tibi, & omnibus hominibus anni præsentis: de quibus nihil quisquam nostrum habet nisi transitum, & elapsum: succedent autem anni nunquam transitori, sed semper mansuri; quia æterni, quia Æternitatis, quia ipsa Æternitas.

4. Quid sit Æternitas; quæres? Si eam intellectus Creatus caperet; æternitas non esset: habet enim intellectus creatus, maxime humanus, capacitatis suæ in cognoscendo mensuram, & finem: quem Æternitas non habet, nec habere potest: si ergo illam intellectus noster caperet;

peret; aut  
esset.

5. Q  
semper in  
finiens, in  
nitatem.

ex non e

ex fuit in

ternitas:

permaner

rum: nec

post hoc

non est:

est. Qu

pore, & e

per. Qu

erit, nun

quasi incl

per. Si e

jam æterr

sed in mo

sine esset.

6. Q

tas: ex e

quod eff

pitur, qu

cessario a

Sicut eni

impossibi

7. E

autem du

& simple

tium hab

peret;

V.P. L



U M peret; aut ipse finitus, aut æternitas infinita non esset.

5. Quid tamen est Æternitas ? Est duratio semper manens, stans, immobilis, eadem, omnia finiens, ipsa infinita. Ex Tempore discamus æternitatem. Tempus est duratio motus transeuntis ex non est in Erit: ex Erit, in Est: ex est in Fuit, ex fuit in non est: huic opposita penitus est Æternitas: nimirum, duratio præsens, perstans, permanens, eadem semper. Non habet futurum: neque post illud, habet præsens: neque post hoc habet præteritum: neque post, habet non est: sed semper totum, & idem, & tantum est. Quidquid est in tempore, transit cum tempore, & elabatur in non est: nihilque erit semper. Quod in æternitate est, semper est, semper erit, nunquam præterit, nunquam mutatur: sed quasi inchoans semper, est semper, idem semper. Si enim non semper, aut non idem esset, jam æternum, non esset: nec in æternitate esset, sed in motu, mutatione, transitu, tempore, & fine esset.

6. Quod autem in rerum naturâ sit Æternitas: ex eo patet; quia Deus est, qui, si hoc est, quod esse naturâ sua debet, & quod esse concipitur, quando vere, & debitè concipitur; necessariò æternus est, ac proinde Æternitas est. Sicut enim impossibile est Deum non esse; & ita impossibile est Æternitatem non esse.

7. Est igitur Æternitas in rerum naturâ. Est autem duplex. Nam alia est completa, perfecta, & simplex, simpliciterque æternitas: quæ & initium habuit nunquam ullum: neque etiam finem

V.P. Druzb. Op. V. P p habe-

Handwritten notes on the right edge of the page, including the number 23001 and some illegible characters.



habebit aliquando. Talis est Æternitas Dei, Deus æternus est: imò DEUS, ipsa est æternitas: & Æternitas hæc, ipse Deus: Principium & finis: principium sine principio, sine fine. Hæc Æternitas soli Deo competit sicut soli Deo, competit, nunquam non fuisse, sed semper essentialiter fuisse: & nunquam non esse, sed semper essentialiter esse, & fore. Alia est Æternitas incompleta, dimidiata, participata, creata; quæ aliquando, imò ab æterno non fuisse, sed aliquando, post non esse, incipit esse: & nunquam desinet esse de facto: etiamsi de possibili posset desinere esse: si Deus, qui illi dedit esse, vellet eidem accipere esse, & redigere illam in eius pristinum non esse. Hæc æternitas creaturarum est, & ipsa creata est. Non omnium creaturarum est, sed tantum Substantiarum immaterialium: quales sunt soli Angeli: & homines etiam, ex parte Animarum suarum: quarundam etiam materialium, ut cælorum & planetarum.

8. Quanquam homines, post ultimam reformationem, manet Æternitas etiam quoad corpora: ita ut toti Homines in æternum victuri duraturi sint, exulante jam omni corporum corruptione ab eis.

9. Est autem adhuc alia Æternitatis divisiō: alia enim est Æternitas beata, & beatificans, que in beatitudine, omnique felicitate conservans in æternum: alia est æternitas misera, servans in omni calamitate, infelicitate, atque perditione servans, in æternum. Prior, Beata Æternitas, subdividi potest in duas. Est enim una completa, & absoluta: quæ Deo soli beatus, & æternus ante omnia secula, &



omnia, perque omnia, ac post omnia secula, fuit, est, eritque beatus. Ista enim æternitas est ipse essentialiter Deus: qui solus habet immortalitatem, solus potens, solus Beatus, solus felix, solus à seipso, ex seipso, seipso, propter seipsum, immensa, infinita, substantialis, essentialis, æterna beatitudo, beatitudinisque possessio. At verò alia Æternitas Beata, est incompleta, & participata, & habens initium, atque ex non beato faciens beatum: at nunquam desinens facere beatum. Ista Æternitas competit solis Creaturis rationalibus scilicet Angelis, & Hominibus: & ad hanc creatæ sunt omnes tales creaturæ à DEO: ad hanc eadem omnes, à Deo per omnes circa ipsas operationes, diriguntur; sub conditione unicâ, & solâ hâc, ut eæ Creaturæ, Deo factori suo subdantur, serviantque suâ spontaneâ, liberâque, quam in hunc finem à Deo acceperunt, voluntate: perseverantes in hac ad DEUM debitâ, & simul spontaneâ subjectione, dilectione, obedientiâ, laude, & honoratione, usque in finem, tempusque à Deo statutum: quo elapso, accipiant à DEO istam Æternitatem beatam, beatificantem, & in omni beatitudine, illos conservantem: hoc est: Accipiunt à Deo Deum ipsum, videndum, fruendum, possidendum sicuti est: cum omnibus bonis, & præmiis, cumque omni plenitudine, & securitate, de habendis iis, per omnes, perpetuasque Æternitates.

10. Æternitatem miseram, & infelicem, quæ aliàs perditio, & mors secunda (nam mors peccati prima est) ac æterna dicitur, non fecit Deus: neque ab eo est: sed illam impii Angeli & Ho-



mines, à Deo, & ejus Sanctâ, & justâ Volun-  
 te rebellantes ac recedentes, ambabus manibus  
 (ut ait Scriptura) accersiverunt: & cum eâ fa-  
 pepigerunt nunquam dissolvendum. Etenim  
 quia beatam æternitatem, sibi à Deo pro obedi-  
 entiâ, & amore, atque subjectione voluntaria  
 devotâ, in præmium assignatam atque promissa  
 fam, per voluntariam suam inobedientiam, super-  
 perbiam, rebellionem contra Deum abjecerunt,  
 & se ejus affecutione indignos fecerunt, con-  
 ceruntque semetipsos ultro in eum perditionis  
 odiique Divini statum, ex quo illis esset impos-  
 sibile ullis creatis viribus surgere, Deum  
 reconciliare; inde Beatam quæ illos tanquam  
 præmium summum atque ultimum à Deo expecta-  
 ctabat, Æternitatem, amiserunt in æternum, ac-  
 cersiverunt autem, atque adeo procuraverunt  
 sibi miseram, infelicemque Æternitatem, in po-  
 nam, & supplicium ultimum & summum, in-  
 nunquam terminandum, & nullo non misericordie  
 calamitatis, doloris, ac perditionis genere æter-  
 naliter, & interminabiliter, & immitigabiliter  
 plenissimum.

11. Attende ad hæc, & expende hæc ô homo  
 & hosce æternos annos in mente semper habere  
 Deo, suam æternitatem, æternaturo affectu  
 congratulare: Sanctis tam Angelis quàm Homini-  
 nibus beatam æternitatem adgaude: tibi eam  
 cum ipsis Societatem desidera: Miseram vero  
 Æternitatem, & ejus cum dæmonibus, hominibus  
 nibusque damnatis consortium exhorresce: & ab  
 omnibus viribus effugere, tecum ipse statim  
 ac Divinæ gratiæ, meritorumque Christi, &  
 Electorum ejus auxilium, humiliter, instanter



et, incessanterque implora, & efficaciter adhibe.

P R A X I S.

O Æterne : ac totius Æternitatis fons Deus : qui nobis per Filium tuum Æternitatis beatæ adiutorem, devictâ morte reserasti : da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoria, intellectu, & voluntate semper habere ; ut in tempore sæculi huius, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM II.

*Aut beata, aut misera Æternitas omnibus subeunda.*

1. Statue te socium Davidi Sancto, cogitanti, dies antiquos, & annos æternos in mente habenti, memoriâ retinenti, intellectu perpendenti, & voluntate deligenti.

2. Tu quoque fac similiter. Nec enim quidquam utilius, salubrius, honestius, jucundius, opportunius, & necessariò magis, totâ ratione, rationalique vitâ, voluere, ac revolvere potes ; quàm æternos annos : quàm æternitatem.

3. Hoc enim, & tu, & omnis homo, apud se super omnia certissima certius habere debet : quod ad æternitatem factus, & ordinatus sit : quæ cum duplex sit ; Beata scilicet una ; misera verò altera : in harum alterutrâ, necessariò, irremediabiliter, inevitabiliterque, omni homini dememorandum, atque habitandum est.

4. Quidquid ille vult, agat in hac vitâ, utatur



bene, abutatur in malum libertate suâ, & hinc temporis bonis tandem tandem tamen trahunt hæc temporalia omnia: succedent autem his æterna: & æternitas, responsura his quomodo egerit in corpore, & tempore, sive bona, & Dei voluntati conformia, sive mala, & sanctissimis Dei legibus dissona: responsura vel ut præmia bonorum meritorum, vel supplicia malorum factorum: æternitate metienda,

5. Ergo in memoriâ, intellectu, ac voluntate tuâ depone, reconde, revolve assiduo attentionem, cujus alterutra portio tibi necessario obventura: cujus necessariæ obventuræ te necesse est omnino tuamet propriâ voluntate & voluntatis spontaneâ operatione præparari, atque adaptari: quæ adaptatio, atque præparatio, in hac tantum, & non in alterâ vitâ, præparanda est: post hanc verò vitam exactam, & elapsam; jam juxta Vitæ præsentis, adaptatæque, ac operationis eâ qualitatem; æternitas tibi, sive bona, & beata, in operationis bonæ præmium; sive mala, & misera in operationis malæ supplicium, est indubitanter, ac inevitabiliter obventura: atque te suo ineluctabili complexura, atque conclusura.

6. In æternum ergo, necessario, ac inevitabiliter, aut esse felix, beatusque aut infelix, per omnia miser, perditusque debebis. In æternum aut hædus, aut agnus; aut piscis malus, aut piscis bonus in vasa seligenda; aut granum in horreum recondendum, aut zizania igni inextinguibili comburenda; aut tinctum metendum congregandumque, aut zizania

fasciculo  
bor ad A  
lignum v  
fructuo  
sus, ac a  
prio arbi  
futurus.

7. P  
trum fut  
tabiliter  
ad alteru  
voluntate  
ve vita p  
tua. Vis  
est) ad  
etiam, d  
incede j  
mandati  
tibi ince  
magis li  
& esse o  
rare, ne  
nitentiâ  
ctate d  
scedite à  
ignem a  
lis ejus:  
combust  
sto intra  
8. I  
velis, ex  
affluent  
spe. Si  
confide



fasciculos colliganda ad comburendum; aut arbor ad Austrum, aut ad Aquilonem lapsa; aut lignum viride, aut lignum aridum; aut palmes fructuosus, aut palmes præcisus, & in ignem missus, ac ardens, futurus es: & tuo quidem proprio arbitrio futurus, atque (ut dixi) in æternum futurus.

7. Et quoniam tuo proprio arbitrio alterutrum futurus es: incumbit tibi omnino & inevitabiliter alterutrum eligendum jam nunc: atque ad alterutrius consecutionem, temet operatione voluntatis tuæ disponendum. Qualis est, eritque vita præsens tua, talis est, eritque dispositio tua. Vis ad beatam æternitatem, sive (quòd idem est) ad æternam beatitudinem disponi? velis etiam, & reipsâ præstes, servare mandata, & incede justus semper ante Deum in omnibus mandatis ejus sine querela: quod si non placet tibi incedere per viam mandatorum Dei, sed magis libet sequi & exequi pravitatem cordis tui, & esse operarium iniquitatis; atque ita perseverare, neque per pœnitentiam, fructusque pœnitentiæ dignos ad Deum converti; tunc expe-  
*Matt. 7. 23.*  
*scedite à me operarii iniquitatis: Et; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus: & tunc discedes cum omnibus impiis in combustionem æternam: Justi autem cum Christo intrabunt in Vitam æternam.*

8. Neque tibi blandiri, aut illudere magis velis, ex flore ætatis, aut robore valetudinis, aut affluentia successuque rerum, aut longioris vitæ spe. Si enim securè istiusmodi conditionibus confidere homines possent; non diceret, nec



*Matth. 25. 13.* præmoneret, Christus salutis nostræ fidissimus  
amicus, & zelator, dicens: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam, quâ venturus sit Dominus*

*Dan. 2.*

& tanquam ille Danielis, *lapillus, Statuæ auro, argento, ære, ferro, & testa conflatæ, pedem extremum percussurus, & cuncta illa metalla in villam contriturus, ac dispersurus.* Memerit illius, qui (enarratore Christo) dicebat Anima

*Luc. 12. 19.*

*sua: Anima habes multa bona, reposita in aurum plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare: Dominus autem illi Deus: Stulte: hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Sic etiam est: qui hisce temporalibus, qualiter æternis, æternituro animo immerfus; æternitatem verè æternitati beatæ idonea, necessariaque, ignorat, aut negligit, aut insipienter, periculosèque, & ancipiter procurare differt: & ultimas demum horas, momentaque, æternitatis negotia reservat. Et tamen hominibus, ita desipientibus, plenus, & superplenus est mundus, etiam Christianus.*

*Deut. 32. 29.*

9. *O verè gens absque consilio, & Sipientia, & sine prudentia: utinam saperent, & intelligerent, ac novissima, æternaque providerent, procurarent, & condignis studiis affectarentur!*

10. Tu homo vide quid eligas, quid agas, quid conquiras: in quo Vitam, laboresque vitæ præsentis consumas? Aut æternum Beatè, aut æternum Miserè esse, omnino te est necesse. Eligere nunc, arbitrii est tui: corrigere electionem arbitrii nunquam erit tui. Nam in delectationis mercatu Æternitatis, errare bis nemini unquam datur.

PRAXIS



## P R A X I S.

O *Æterne*, & totius *Æternitatis* fons *DEUS*: qui nobis per filium tuum, *Æternitatis* Beate aditum, devictâ morte reſerasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, in intellectu, & voluntate semper habere: ut in tempore seculi hujus, sic omnia temporalia pertranſeamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum Sc.

## EXERCITIUM III.

*De his quæ mensurant Æternitatem.*

1. **S**tatue te socium *Davidi* sancto: dies antiquos cogitanti, & annos æternos in mente habenti, memoriâ recolenti, intellectu perpendenti, & voluntate deligenti.

2. Factu quoque similiter: Et tibi enim ad æternitatis portum, post, & per enavigatam istam mortalem vitam, indubie appellendum est. Sed interest quali appulsu? felici? an naufrago? Ad portum beatæ æternitatis, qui revera portus securus est? an ad portum; magis autem, & reipsâ ad scopulum, charybdimque miseræ æternitatis, ac æternæ perditionis? Quod extremum Naufragium est.

3. Vide ergo ac circumspice sæpè & diligenter Navigium tuum quo veheris: vide *Navarchum*: Spiritusne Sanctus, an spiritus nequam, mundus, dæmon, caro? vide remiges tuos: qui sunt affectus & desideria tua. Vide *Cynosuram* & *Acum* nauticam: *Gloriané* & *Voluntas* Dei, an propria voluntas & cupiditas sit? eanè



quæ Christi JESU, an quæ tua sunt quæris? Vide armamenta & instrumenta navis tuæ, vide com-  
 meatum: vide propugnatores. Vide onera, &  
 merces, quibus navis onusta sit? sintne omnia  
 æternitati idonea, suffectura, peropportuna, per-  
 grata? Num aurum, argentum, lapides pretio-  
 sos, an ligna, fenum, stipulam, devehis? Vir-  
 tutes, Perfectiones, Opera bona, Merita, Per-  
 fecta, Copiosa: an potius, peccata, vitia, ini-  
 quitates, opera mala, reatus multos, magnos,  
 ingratos; iræ & vindictæ Dei thesauros? Hæc  
 circumspice ô Homo in navigio tuo, & in navi-  
 gatione tuâ. Sicut & illud; quid adhuc desit,  
 portui æternitatis, & exscensui necessarium? qui-  
 bus ventis, quibus velis, utaris? quomodo sco-  
 pulos patentes ac latentes, prædones insidiantes,  
 in vasurosque declines? Ad ista, similiaque re-  
 cognoscenda, vacet tibi, si non assiduò (ac quid-  
 ni assiduò?) frequenter saltem vita tua: diligen-  
 tia tua: sollicitudo tua. Ne fortè, cùm te secu-  
 rissimè, placidissimè cursum tenere putaveris:  
 tum ab ipsâ malacia maris pericliteris: ne inter  
 scopulos & brevia, inter prædonum manus hæ-  
 reas, traharisque in prædam æternam.

4. Quid est hoc autem *Æternam*? quam pu-  
 tas longum esse, diuturnumque id, quod est æ-  
 ternum, id quod est *Æternitas*? Mensura æter-  
 nitatis est longitudo, latitudo, alitudo, profun-  
 dum infinitum, & immensum. Mensura *Æter-  
 nitatis* sive *Beatæ*, sive *Miseræ*, est Deus, & ejus  
 æternitas: quamdiu enim Deus, erit Deus, tan-  
 diu æternitas æterna erit: omnis enim *Æternitas*  
 est Dei æterna ætas. Mensura quoque *Æterni-  
 tatis* est, initium ubique, medium & finis nus-  
 quam

quam  
 tantu  
 nunq  
 medi  
 terni  
 esse,  
 quam  
 semp  
 tatis  
 five;  
 terni  
 viver  
 que  
 alian  
 recti  
 vitar  
 men  
 æter  
 nam  
 de re

fura  
 nem  
 min  
 buc.  
 pos  
 qui  
 ver  
 qui  
 elap  
 ultr  
 ni a  
 sit:  
 ita  
 git:



quam: quantumcunque enim pergat æternitas, tantum inchoata est, medium & finem attinget nunquam. Initium in actu, & re semper habet: medium, & finem in impossibili. Mensura æternitatis est, Semper & Nunquam. Semper esse, nunquam non esse: semper durare, nunquam cessare: semper venire, nunquam abire: semper stare, nunquam præterire. Ita æternitatis beatæ, est semper vivere, nunquam mori: sive; est vivere vitæ, morti mori: è contrà, Æternitatis miseræ, est semper mori: nunquam vivere: sive; est mori vitæ, morti vivere. Itaque unam æternitatem mensurat vita æterna: aliam verò mensurat mors æterna. Si tamen non rectius dicetur, quod una Æternitas mensuret vitam, faciatque æternam: alia verò æternitas mensuret vitam, faciatque æternam: alia verò æternitas mensuret mortem, reddatque æternam: at de modo loquendi parum est, quando de rei veritate constat.

5. Est verò etiam quædam Æternitatis mensura magna & mira, sed in sacris literis usitata: nempe, *Ultra*, sive *Adhuc*: Ut cum dicitur, *Dominus regnabit in æternum*, & *Ultra*: sive; & *adhuc*. Quæso quid est, *in æternum*, & *Ultra*? an post æternum, est insuper aliquid ultra? Nihil quidem post æternum absolutè, est ultra: quia verè æterno non competit unquam post: aut aliquid subsequens se, succedensvè sibi tanquam elapso: sed in eo quod dicitur, *in æternum*, & *Ultra*, vel, & *adhuc*; exaggeratur immanis æterni æternitas; æternitatisque æternum: ut sensus sit: v. g. Dominus Deus regnabit in æternum, ita plenè, & absolutè, ut quidquid unquam cogitaveris, cogitandoque reperieris de Regni ejus æter-

Handwritten notes in the right margin, including the number 280 and some illegible characters.



æternitate, adhuc superfit cogitandum de regno illius ultrà. Pari ratione, Sancti cum Deo regnabunt in æternum & ultrà: quia ita regnabunt æternaliter, & absque fine, ut si per impossibile æternitas regni eorum transfiret, adhuc illi regnarent ultrà, & ultrà, & adhuc. Similiter Dam-nati in inferno, in igne devorante, & ardoribus sempiternis ardebunt, & cruciabuntur in æternum, & ultrà: quia in æternum quidem eorum non præteribit unquam: sed etsi per impossibile transfiret, illi tamen ardebunt ultrà, & ultrà, & adhuc: quod ipsum est, in æternum.

6. Non est prætereunda Æternitatis mensura, quæ Sancto Prophetæ maximè in usu fuit. *Anni nimirum æterni.* Sed queri potest: quomodo Anni sunt æterni, si anni: aut quomodo sunt Anni, si æterni? Omnis annus involvit revolutionem à puncto ad punctum in motu cælorum, seu Solis: quâ peractâ alteram inchoat sol, & hæc est annus alter novus: & non æternus: sed habiturus tertium successorem: quod æterno minimè competit: an harum solarium revolutionum successio erit æterna? at hæc fini mundi repugnat, in quo cessabunt cursus Cælorum & Solis. Quid sunt ergo, & qui sunt anni æterni? Anni æterni, sive, Annus æternus, ipsa est Æternitas: quæ talis est, ut dato anno æterno, vel annis æternis, numeroque infinitis, absorptura sit illa omnes, ipsa vix dum sui initium auspica-tura.

7. Hos annos æternos in mente habebat David: hos annos æternos in mente habent Sancti cum Deo regnantes, & habebunt regnaturi: & exinde securi, ac certi sunt de suâ beatitudine, æter-



æternoque regno: & eâ securitate beati sunt, & in sæcula sæculorum DEUM laudant. Hos annos æternos habent in mente omnes damnati, & exinde desperant de cessatione, ac fine malorum suorum: præ desperatione autem, in furorem, & rabiem malitiæ traducti, contra seipfos, contra omnia creata, contra perditionis socios, contra ipsum Deum efferantur, furunt, insaniunt, malignantur in æternum. Nempe in malis maximum est, nullus malorum finis.

8. Hos annos æternos in mente habeto, semper, semper & semper, quisquis vivis hanc adhuc vitam: & omnem operam in eo pone: ut anni tui, qui tibi in hac vitâ fluunt, & effluunt, in illam Beatam Æternitatem influant: & in annos æternos, æternè beatos, teque beatificantes, ab æternitate beatâ transformentur. Væ tibi: si negligente, cæcutiente, procrastinante, insaniente te, anni isti, præsentem tibi elabentes, in illius æternitatis infelicissimæ sinum illapsi fuerint, & in annos æternos, æternè infelices, atque te infelicitantes, ipsâ æternitate commutabuntur.

9. Tunc revera erit Væ tibi, væ millies: væ millies millies: væ in æternum, væ in æternum, & ultra, & adhuc. Væ in perpetuas æternitates. *Siquis habet aures audiendi, audiat: Siquis Marc. 4. 23.* habet mentis, & consilii sani micam; Annos æternos in mente habeat, memoriâ teneat, intellectu perpendat, voluntate deligat.

P R A X I S.

O Æterne: *Omnia Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ aditum*



aditum, devictâ morte referasti; da nobis cogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate semper habere: ut in tempore seculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

## EXERCITIUM IV.

*De his quæ mensurat, seu continet Beata æternitas.*

1. **S**Tatue te Socium Davidi Sancto, dies antiquos cogitanti, & annos æternos in mente habenti, memoriâ revolventi, intellectu consideranti, voluntate seligenti.

2. Tu quoque fac similiter: & tibi enim eadem omnino æternitatis cura incumbit: cui superindormire nec tibi nec ulli hominum licet: nisi ei, cui perdere bonam, lucrari malam æternitatem libet.

3. Ac certè ista cura Deo inter primas est: ut homines ad Beatam Æternitatem tandem inducat. Pervestiga omnes Dei operationes: & invenies, nullam hâc unâ curâ vacasse. Ab æterno Deus semetipsum suamet adimplebat tam beatâ æternitate quàm æternâ beatitudine: & poterat tum esse, tum videri, solutus procuratione omnis alienæ tam æternitatis quàm beatitudinis: nihil enim penitus intererat illius, ut etiâ aliquis unquam esset æternè beatus, vel beatè æternus. Et tamen ille Deus, soli suæ immensitati, & immensæ Entitati beatificandæ, immensâque per omnem modum beatitudine ex-

plen-



plendæ ac exsatiandæ satis occupatus, deditus, contentusque, reperit per Sapientia, Potentia, Bonitatisque suæ divitias, ab omni æternitate spatium, & modum, quo & cogitaret, & decerneret hominibus procurare, & elargiri suam æternam beatitudinem, beatamque æternitatem.

4. Et quod apud se ab æterno decrevit, hoc demum in molitione constitutioneque mundi perfecit: in consummatione ejusdem ultimâ consummaturus: dicente Domino nostro Jesu Christo; *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Itaque Deus in universâ mundi molitione, unum præ oculis habuit, beatam æternitatem, rationali creaturæ suæ, Angelicæ atque Humanæ communicandam. *Matt. 24. 34.*

5. Sic ergo universa Dei Sapientia, Potentia, Bonitatis, Sanctitatis, Justitiæ, Misericordiæ, Veritatis, Charitatis, in creando, gubernando, conservando, justificando, sanctificando, legibus & veritatibus, præceptisque erudiendo, minis & pœnis in officio coercendo, præmiis atque beneficiis excitando, auxiliis Gratia suæ etiam supernaturalis suffulciendo, exemplis, etiam suis propriis, aliorumque informando, lapsus & errata creaturarum misericordissimè sustinendo, condonando, abolendo, universa inquam hæc Dei profusio, occupatio, atque (ut sic loquar) exercitatio & impensa; aliud nihil spectavit & adhuc spectat, nihil egit & adhuc agit, nihilque actura est usque ad mundi finem; nisi negotium communicandæ beatæ æternitatis, tam Angelis, quàm Homini- bus: specialissimè verò Hominibus.

6. Hoc



6. Hoc sibi vult universa Incarnationis Verbi & Dei Hominis, Oeconomia: hoc tota series Redemptionis humanæ: hoc universæ Dei hominis in hac vitâ progressionis, operationes, virtutes, & virtutum exempla, miracula, merita, prædicationes, mandata, consilia, exinanitiones, passionis, dolores, odia, contemptions, reprobationes: denique mysterium simulque probrum Crucis, & in Cruce Mortis: sepultura post mortem: Descensus ad inferos, Resurrectio ex mortuis, Ascensio: ad Patris æterni dexteram confessus, & abinde Spiritûs Sancti ad Ecclesiam à se hîc institutam missio, ejusdemque Ecclesiæ perennis per omnes gentes humanas propagatio, gubernatio, protectio: cum eademque in admirabili, ineffabilique Eucharistiæ Sacramento, nec non Sacrificio, ad usque finem mundi cohabitatio, & dignantissima Præsentia realis exhibitio.

6. Ecclesia quoque Christi tota, ab origine mundi fundata, deinde per legem propagata & erudita, demumque per Christum, & ejus Gratiâ perfectâ, quantaquanta est, quidquid in se habet, à Sponso, & Deo suo Christo communicatorum bonorum, doctrinarum, Sacrificiorum Sacramentorum, meritorum, potestatis, auctoritatis, infallibilis certitudinis, inexpugnabilis firmitatis, irreprehensibilis sanctitatis: quidquid agit in omnibus ritibus, ordinationibus, observantiis, orationibus, psalmodiis, jejuniis, cordium corporumque asperitatibus, exercitationibusque filiorum suorum in Christum credentium: omnibus his æternitati beatæ suorum milita: per hæc omnia suos ad æternitatem beatam dirigit, à miserâ æternitate arcet, avocat, defensat: Mercibus, sive meri-



meritorum, operumque bonorum in Gratiâ Dei, & Unione Christi factorum, divitiis, thesaurisque, beatæ aternitati deservituris, dirat, & locupletat, & conservat: & cum his eos à se hac vitâ, ad eandem se in alteram vitam, aternitatem scilicet beatam dimittit, deducit, introducit: ibique beatè aternaturos, securè mansuros, aternum regnatos, cum DEO, & Sancto Sponso suo Christo fundat.

8. Ecce sic Deus, & Christus ejus, & universa Ecclesia ejus, & universus mundus tam invisibilis quàm visibilis ejus, per omnia beatæ aternitati ab Hominibus consecrandæ, consequendæque deservit. Homines verò ista cura, quo nam modo tangit? Heu! ac si res aliorum, ac si boum, asinorumvè ageretur; ac si res de lana caprina, umbrave asinina, & nescio quo titivilicio esset; ita hoc nihil homines, nihil aternitati creatos tangit, nihil advertit, nihil admordet: tam securi Aternitatem beatam negligunt, ignorant, prostituunt, deperdunt; ac si ea esset omni vilior algâ, omnibus quisquiliis abjectior. Scilicet plus Dei, & Christi ejus, interest homines in aternum beatos esse, & aternam perditionem evadere, quàm hominum ipsorummet. Scilicet etiam est Dei, & Christi ejus malum grande nimis, homines à beatâ aternitate excidere, in aternumvè perditos esse: hominum autem summum bonum est, aternum periisse, & aternum beatam aternitatem amisisse. O cæcas hominum mentes! sed his immoratum est nunc satis. Expendenda sunt ea, quæ mensurat, seu quæ in se habet, possidentique se largitur Aternitas Beata.

*V. P. Druzb. Op. V.*

Qq . . . 9. Ho-



9. Horum Primum, & Primus est Deus: totus quantum in Unitate trinus, in Trinitate unus, Beatus, Gloriosus, Omnipotens, Summum bonum: Laudabilis: & is quidem hominis Amicus, amator, amatus, possessus, & in æternam fruitionem gaudiumque datus.

2. In beatâ æternitate, est ipse Beatus: Vitam, omni ex parte felicem, felicitate Animi corporisque repletissimam vivens.

3. Visio, fruitio, laudatio, tentio, hereditatio, Dei plena, prout est Deus in se, gaudium de ipso, & lætitia sempiterna.

4. Societas, & multitudo Sanctorum, & Beatorum conviventium, collatantium, conregnantium. Ineipiendo à Christo Domino, & ejus Matre Pretiosissima, usque ad omnes Angelos & Homines: quæ Societas tædium non habet: solitudinem, metumque non habet: sed Deus est omnibus omnia & in omnibus omnium: & quisque ita est omnibus sicut sibi: ita omnium, sicut sus.

5. Merces ac remuneratio omnis boni etiam minimi copiosa, & multa nimis: eaque non alia quàm ipse Deus, cum omnibus quæ sunt Dei.

6. Locus beatitudinis: qui est ipsamet Dei sedes, domicilium, regnum, sanctum, pacatum, securum, beatitudini Divinæ, & omnium Beatorum ejus, planè, & dignè factum: expers omnis incommodi: plenum omni verâ felicitate.

7. Æternitas ipsa; quo nisi esset, nihil in eâ beatum esset: nam ipsa expectatio finis, esset venenum beatitudinis. Summum enim in bonis bonum est, finem bonorum non expectare.

10. Ergo homo, si in beatam Æternitatem deven-

veneris  
Posside  
bonum  
simul  
Posside  
captum  
debis,  
illum in  
merces  
stum Sa  
ctos, e  
cietate.  
debit re  
cedis tu  
debis &  
Majesta  
regnat i  
fident i  
ducia,  
posside  
addi be  
etiam d  
Oh  
dinem t  
Deo au  
magistr  
nitatem  
elabore  
O A  
q  
aditum



veneris, omnia hæc quæ recensui possidebis. Possidebis Deum. Deum summè & summum bonum, ultimum quoque, & omne bonum: & simul possidebit te Deus tuus, ut bonum suum. Possidebis vitam æternam: omne desiderium captumque tuum bonis suis excedentem. Possidebis, videbisque Deum sicuti est: & laudabis illum in sæcula sæculorum: nec deficies, quia merces tua erit in laudando. Possidebis Christum Salvatorem, ejusque Matrem, & omnes Sanctos, eorumque fruêris; & gaudebis æternâ Societate. Possidebis mercedem, aut magis possidebit te, merces tua, magna nimis: nec erit mercedis tuæ remunerationisque ullus finis. Possidebis & inhabitabis Cælum, locum, & sedem Majestatis Dei, in quo est Regnum, quo DEUS regnat in Sanctis, & Sancti regnat in Deo: & resident in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, in requie opulentia. Possidebis denique possidentem vicissim te beatam æternitatem: cui addi boni nihil potest: quia beatitudo est: nihil etiam detrahi: quia æternitas est.

O homines hanc curam curate: hanc sollicitudinem sustinere: hoc unum & solum agite: ut Deo auxiliatore, Christo Duce, Ecclesiâ Sanctâ magistrâ, omni creaturâ serviente, ad beatam æternitatem profutura, necessaria, digna, totis viribus elaboretis: deferatis.

P R A X I S.

**O** Aeternæ: *Œ* omnis Aeternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ aditum, devictâ morte reserasti; da nobis recogitare

Q 9 2

tare

Handwritten notes on the right edge of the page, including the number 17 and some illegible characters.



tare dies antiquos, & annos æternos in memoria intellectu, in voluntate semper habere: ut in tempore seculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus: & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM V.

De his quæ mensurantur continenturque mensurâ serâ Æternitate.

- 1. **S**Tatue te Socium Davidi Sancto, dies antiquos cogitanti, & annos æternos in memoria habenti, memoriâ recolenti, intellectu expendenti, voluntate designanti, ac deligenti.
- 2. Fac tu quoque similiter: quoniam hoc negotium, est negotium omnium negotiosissimum: ita ut si hoc unicum rectè curandum, conficiendumque, pro totâ vitâ tuâ tibi designes; & assumas; satis, superque sis vitam tuam, & occupaturus: & perquam utiliter, perhonestèque imperaturus.
- 3. Stultitia humana, dum quid prægrandi monumentum ære perennius, atque æternitate ipsi exæquasse se iussitabat. Infaniunt & hodie sic homines: terram & mare vertunt, propter excedendas cupiditates suas: quarum omnium creatorum projectionem esse, vel ultrâ ipsam æternitatem. Vident cæci suas spes quotidie collabi, nec momento subsistere, se morte abripi, omnesque curas funerari secum: & tamen sunt, qui his succedant non in curas tantum, verum & in ipsas in-

Handwritten notes on the left margin: 'D', 'Bii', '4', '3', 'V', '7'.

Handwritten notes on the right margin: 'sanias:', '& inter', '& nulli', 'dave A', 'numeri', 'miserri', 'nunqua', 'sum unu', 'rabant s', 'quocun', 'quidqui', 'negligen', 'pinquan', 'hi, mari', '4. Q', 'mines, a', 'velaniff', 'ture, ser', 'destinat', 'gitimam', 'ternitati', 'procura', 'miseræ', 'ant, & v', 'tempor', 'imò ne', 'vita, a', 'nem; t', 'provific', 'quidem', 'elabora', '5. U', 'nibus,', 'in omn', 'sanias'.



sanias: quas ipsas excedere insaniendo nituntur?  
& inter hæc; ne quidem nomen veræ, & propriæ,  
& nullis viribus ausibusvé excutiendæ declinan-  
dævé Æternitatis admittunt. Unde quotidie in-  
numeris eorum accidit: ut abyssalem æternitatis  
miserrimæ nassam decidant, devolvanturque;  
nunquam inde extricandi: priùs quàm se, vel pas-  
sum unum, ad eam admovisse opinarentur. Igno-  
rabant scilicet, aut magis ignorare volebant: sese  
quocunque modo viverent, quidquid agerent,  
quidquid molirentur, volentes nolentes, curantes  
negligentes, scientes ignorantes, æternitati appro-  
pinquare: & veluti fluviales aquas in mare inve-  
ni, marique absorberi.

4. Quod utinam sentire aliquando vellent ho-  
mines, atque in eâ cæcitate, vesaniaque, omnium  
vesanissima sese circumspicere, tempestivè, ma-  
turè, seriò, & prorsus ex animi proposito, atque  
destinato: dantes, & seponentes sibi; justam le-  
gitimam, & idoneam vitæ portionem: quàm æ-  
ternitati memorandæ, expendendæ, seligendæ;  
procurandæ quidem Beatæ, avertendæ autem  
miseræ consecrent: ac impendant. Utinam sci-  
ant, & velint temporalibus vitæ hujus negotiis, &  
tempori dieique mortis, spatium opportunum,  
imò necessarium interponere: in eoque curis  
vitæ, ac negotiis, moderationem, aut melius fi-  
nem; tempori & negotio mortis prævisionem,  
provisionemque, ipsi æternitati januam, beatæ  
quidem aperturam, miseræ autem obstructuram  
elaborare.

5. Utinam sterilissimis valedicentes cogitatio-  
nibus, unam æternitatem semper, & ubique, &  
in omnibus, in corde, in mente, in memoriâ, in



manibus, in operibus, in sermonibus, in amore, timore, in solitudine, in præmeditatione, in preparatione habere consuescant. Ista est enim genuina Sapientia: scire ad æternitatem intendere, pergere, pervenire: scire inquam, non errare, non dubium hædere, non casui, & fortunæ, tantum negotium permittere: denique quid in æternitate ambias, quid defugas, scire.

6. Et proximè quidem vidimus bona æternitatis beatæ: nunc profiti videre mala æternitatis miseræ. Horum;

Primum est, damnatus, & perditus quisque durabit enim infelix, & mesurabitur immensæ æternitate: *desiderabit mortem, sed mors fugiet ab eo: in morte erit, sed tamen mortuus non erit quia in morte immortalis erit.*

Apoc. 9. 6.

2. Quod miserâ infelicique æternitate mesuratur, seu continetur; est: Societas aliorum damnatorum, tam hominum, quàm dæmonum hoc est, omnium omnibus pessimis pejorum, atque in malitiâ maledictorum.

3. Vermis quisquis ille, certo certius tamen erit: vermis conscientie cujusque propria, qui nec unquam morietur, nec unquam à morfu, remorsuque amarissimo cessabit.

4. Dolor cordis ac pœnitentia inutilis, qui fera. Cùm enim vult non potest, utiliter pœnitentere, qui quando potuit noluit fructus dignos pœnitentie facere.

5. Impœnitentia, & obduratio, & obstinatio finalis: quâ nec velle possunt, nec posse volunt averti; à malitiosa in Deum, & in omne bonum voluntate.

6. Com

D  
Bii  
op:  
m  
7

6.  
tepe  
sempe  
suum  
integ  
7.  
minis  
nere,  
mus.  
8.  
tuum  
quoqu  
gandis  
qui to  
9.  
Aman  
Boni:  
dientis  
(ait) a  
inferni  
ledicti  
aternu  
10.  
tio del  
certifi  
8.  
opes a  
denda  
ris. H  
ternas  
damna  
rum e  
verme  
nitent



6. Combustio ignis inextinguibilis, nunquam tepescens, nunquam remittens, nunquam cessans, semper incipiens, nunquam consumens pabulum suum infelix, ad pœnas suas semper vivens, semper integrum, semper vegetum, & sanum.

7. Locus illætabilis, omne triste habens, solaminis nihil admittens. Omni spurcitarum genere, veluti mundi repurgati sentina, repletissimus.

8. Congeries omnium tormentorum, cruciatuumque, omnibus & singulis sceleribus in unoquoque per omnes potentias peccatrices castigandis, idoneorum. Ibi & tortores æterni, & qui torquentur æterni, & tortura ipsa æterna.

9. Amissio Dei benedicti, Dei Amici, Dei Amantis, Dei summi & ultimi, summè & ultimè Boni: experimentum verò Dei reprobantis, odientis, vindicantis, nunquam placandi. *Ignis* (ait) *accensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Et iterum; *Discedite à me maledicti in ignem æternum: nec benedicendi à me in æternum.*

10. Æternitas ipsa: & ex eâ surgens desperatio desperatissima de fine malorum: & certitudo certissima de perpetuitate: illorum.

8. Istæ sunt miseræ, infelicisque æternitatis opes æternæ: has tibi conquires æternum possidendas, quisquis æternitatem istam hereditaveris. Habebis immortalitatem vitæ ad pœnas æternas suffecturæ. Habebis societatem omnium damnatorum hominum & dæmonum, sub quorum etiam potestate eris in æternum. Habebis vermem conscientiæ æternum. Habebis & pœnitentiam inutilem, & impœnitentiam rabiosam



in æternum. Habebis, & patieris combustionem æternam. Habebis locum mansionis tuæ æternæ, infernum. Habebis congeriem omnium cruciatuum, & fumum tormentorum tuorum ascendentem in æternum, & in sæcula sæculorum.

9. Carebis Deo summo & ultimo, incomparabilique bono: ejusque possessione, laude, hereditate, beatitudine: & faciem ejus ad quam videndam creatus eras, non videbis in æternum. Carebis DEI Homini, Christi, ejusque Matris, atque Sanctorum Angelorum, & Hominum beatâ Societate in æternum. Carebis vitâ & gloriâ & beatitudine omni in æternum; Carebis omnibus bonis Animæ, dotibusque Corporis gloriosi in æternum. Carebis cælo, domicilio illo Dei, & sanctorum, omnique gloriâ, & ornatu, & pace illius in æternum. Carebis æternitate beatâ: hereditabis autem æternitatem infelicem usque in æternum.

12. Quid horum tibi arrideat, ô homo; nunc dispice, nunc delige, nunc decerne. Semel errasse, æternum est errasse.

### P R A X I S.

**O** *Æterne: & totius Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, Æternitatis Beatæ aditum; devictâ morte reserasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, in intellectu, & voluntate semper habere: ut in tempore sæculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.*

EXER-



## EXERCITIUM VI.

*Occupationes Beatorum, & Damnatorum in  
suâ Æternitate.*

1. **S**Tatue te Socium Davidi Sancto, cogitanti  
*dies antiquos & annos æternos in mente ha-*  
*benti memoria recolenti, intellectu considerant,*  
*voluntate designanti, & deligenti.*

2. Tu quoque fac similiter: Nam revera  
non est ulla excusatio ulli, similiter non facienti.  
Ulli dico Christiano, & Dei notitiâ, fideique  
Christi lumine prædito, & Ecclesiæ Sanctæ filio:  
qui enim foris, & extra Ecclesiam sunt, de his  
non libet iudicare.

3. Est apud quosdam, nec infacetum, nec  
insipiens proverbium: ajunt illi: inter Christia-  
nos, ad eorum delicta, vel coercenda, vel casti-  
ganda duplici carcere opus esse, aut Sanctæ In-  
quisitionis, in quem suspecti de fide, ac Hærese-  
os convicti, conjiciantur: aut mente captorum,  
sive insanorum. Ajunt enim, sic, argutantes:  
Christianorum neminem, si revera Christianus  
sit; delinquere in Deum non posse; nisi aut non  
sincere credat, quæ DEUS proponit, præcipit-  
que, vel agenda, vel vitanda: aut credendo ta-  
lia; nihilominus ea non servare, vel transgredi,  
pro nihilo ipsi sit. Primum horum est de fide su-  
spectorum: quos proinde carcer Inquisitionis  
merito maneat. Alterum est mente emotorum,  
quibus suum quoque ergastulum debeat.

4. Esse porrò Christianos peccatores in alter-  
utrâ classe prædictâ; probare satis potest, vel  
hoc



hoc unum: quòd Deus observatoribus mandatorum suorum promittit in præmium vitam æternam: transgressoribus autem decernit supplicium æternum. Hoc si Christianus quis credit, & nihilominus mandatis Divinis contraire præsumit, vitæque æternæ præmio renunciat, supplicii æterni reatum subit, ultrò ob exiguum, quia temporale commodum, plus Dei voluntate æstimatum: quis hunc talem, aut; non plene fidelem, aut non mente innotum meritò iudicabit?

5. Quidquid verò sit de rigore proverbii: quantum obsecro discedunt Christiani homines, vel à fidei, vel à mentis errore; qui & fide credentes, & ratione scientes, se alterutri æternitati omnino, & inevitabiliter destinatos, & nullo modo in istis temporalibus perennaturos, sed juxta eorum ordinatum, vel præposterum usum, æternitatem beatam, vel miseram assecuturos: passim tamen omnes, sic memoriam omnis æternitatis deponunt, sic temporalibus inhiant, incubant, adglutinantur; quasi aut in his perennaturi, aut cum his ad æternitatem aliquam commigraturi sint.

6. Quid his facias? quid remedii adhibeas? si carceri alicui addicas; necesse erit totum mundum carcerem esse. Ratione, & oratione convincas, & ad saniora consilia inducas? En habent Moysen & Prophetas: imò habent Deum, & Sapientiam, Verbumque ejus, Christum: si hos non audiunt; quem alium audient?

7. His tamen non obstantibus; timendum est, quod Ezechieli Prophetæ comminatus est **DEUS**, nimirum Sanguinem Impii requisitum

*Ezech. 3. 18.*

se de



se de prophetæ manu, si is non fuerit locutus impio, ut avertatur à viâ suâ impiâ: timendum & illud: quod Paulus sibi metuit; *Væ*, (inquiens) *mibi, si non Evangelizavero.* Inculcentur ergo 1. Cor. 9. 16. Hominibus istorum temporalium bonorum amatoribus, atque propter illa peccantibus, Deum obliviscentibus, ac etiam contemnentibus, bona æterna negligentibus, mala æterna accersentibus: inculcentur (inquam) illæ quæ sunt Æternitatis, tum beatæ tum miseræ occupationes: ut nunc discernant, & decernant, eligantque, quibus destinandi sint, & destinari velint per totam æternitatem.

8. Et occupationes quidem eorum quibus beata obvenerit æternitas: erunt e. g. istæ.

1. Videre Deum, sicuti est, facie ad faciem, & quæ hîc in ænigmate docebat fides, revelatâ facie contemplari in ipsâ Dei Veritate, atque Entitate.

2. Deum amare Beatificè, incessanter, Possessivè; frui Deo, & gaudere de illo; tenere, & hereditare illum, & inhabitare universa bona ejus: satiarique illis in æternum, & non ad mensuram, sed ad omnem plenitudinem.

3. Laudare Deum quantus quantus est in se, & laudare in amore, sicuti & amare in laude; non satiari laude, quia & laudandi DEI satietas nos est, finis non est, modusque non est.

4. Videre, & obtinere omnes divitias Vitæ Dei, Veritatis Dei, Sapientiæ, Potentiæ, Charitatis, Bonitatis, Justitiæ, Misericordiæ, Immensitatis, Majestatis, Pulchritudinis, Dulcedinis, Dignitatis, Voluntatis, Æternitatis, & Beati-  
titu-



titudinis. Has divitias scrutari, cognoscere, obtinere, amare, mirari, prædicare, &c.

5. Videre Christum JESUM, Deum Hominem universamque Oeconomiam illius mysteriorum, decretorum, gestorum, officiorum, dignitatum, meritorum, donorum, præmiorum, gloriæ quoque & potestatis omnis, regni item cum Deo, in Sanctis. Hæc omnia quæcunque Christi sunt clarè nosse, intueri, obtinere: iis pasci, & frui, gaudere, & congaudere: Deum in Christo, & pro Christo, & pro universâ ejus communicatione, potestate, gloriâque prædicare: Christi in se Unum, pariter in omnes, beneficia omnia dilaudare.

6. Pretiosissimam Christi Dei Hominis Matrem, omnisque Creaturæ ac imprimis Dei Electæ, Dominam, & Heredem videre: ac diligere viscerosè, ac inexplebiliter: ejus Gratias, prærogativas, glorias, munera, præmia, potestates, in Deum, in Filium, in Electos omnes; officia, obsequia, & profusiones, cernere, mirari, glorificare, gratulari.

7. Sanctos omnes, Angelos & Homines, familiariter, & intimè nosse, ac purâ amicitiam prosequi: omnium coram Deo statum, gradum, merita, pretia, glorias, præmia videre. Dei circa omnes Providentiam, misericordiam, liberalitatem, judicia, agnoscere, stupefcere, demirari, deprædicare: ex omnibus, tanquam ex suis, sibi exhibitis gaudere, gratulari, Deumque exaltare, superque exaltare.

8. Ipse sibi unusquisque Beatus erit, infinita occupatio, & occupationis inexhausta materia: dum sese in arcanis Divinæ Voluntatis, Sapientia,



tiâ, Charitatis totum intuebitur: qualiter à Deo ab æterno prævisus, ad creandum ex nihilo designatus, ad vitam æternam sine ullis meritis suis Electus, ac prædestinatus: deque totâ serie existentia, ac permanentia omnibusque mediis, soli Dei Sapientia pervestigabilibus, provisus, & instructus, eductus demum in naturam rerum; in his circumstantiis: tam apta, tam congruâ, tam efficaci, tam suavi, tam infallibili serie, & conjunctione; ut hoc in Animum hominis ascendere nunquam possit, nisi in Lumine Dei, ejusque Substantia beatificè penetratâ, seu perspectâ. Quæ hic materies beatæ jam menti, perspectam clarissimè habere omnem structuram suæ salvationis, & ad æternam vitam efficacis, infallibilisque deductionis! Opus revera solius Dei Bonitatis, Sapientia, Potentia & Gratia: Christi quoque meritorum labor, & præmium: inter tot anfractûs, inter tot scopulos, insidias, fraudes, & pericula, inter tot impedimenta, fragilis, insipientis, depravatâ, rebellis ingrata, contumacisque toties ac toties, miseratori suo, naturæ. Quis ista cogitando, aut enarrando percurrat? Beatus tamen quoque totâ æternitate decurret, recognoscet, Domino Deo suo confitebitur in laude, & júbilo, per sæcula sæculorum.

9. Parem materiam admirationis, perscrutationis, prædicationis, congratulationis, habebit quilibet Beatus, ex aliis quoque omnibus secum Beatis: incipiendo à Christo DEO Homine, & ejus Matre: pergendoque per seriem Salvationis singulorum Angelorum, atque Hominum.

10. Occu-



10. *Occupatio Beatorum in suâ Æternitate erit: intueri infelicissimos labores, dolores, calamitatēque ineluctabiles eorum omnium, quos misera Æternitas suo concludet sinu. Videbit illud diluvium ærumnosissimarum ærumnarum, beatus in sua beatitudine positus: & laudabit quidem sanctissimam DEI justitiam in omnibus filiis perditionis: at simul etiam infinitas agere gratias Gratiae, & Misericordiae super se diffusae, & sic nunquam hac agendi gratias, laudandique Dei super se misericordias occupatione, & illarum in æternum decantatione cessabit.*

11. *Cognoscere res hujus mundi & vitæ: orare DEUM pro eis assidue, juxta placitum ejus voluntatis.*

12. *Atque istæ sunt strictim enarratæ occupationes creatæ Æternitatis. Proponendæ jam veniunt occupationes incolentium infelicem æternitatem.*

Prima harum erit, perpeffio omnidolorum immanitate immaniorum, cruciatuum: tam in corpore, quàm in animâ, & omnibus bonis ejus, absque ullo solatio, levamento, cessatione, commiseratione.

2. *Odium, & furor, atque rabies, inexplicabilis, utpote animi deordinatissimi, perturbatissimique: hoc Damnatus exercebit omni possibili malitiæ suæ impotentiam in Deum, in ejus omnem majestatem, & perfectionem, in omnia ejus benefacta, & beneficia, & gloriam: in omnem ejus Bonitatem, Charitatem, Misericordiam: in omnem ejus Justitiam, providentiam, voluntatem, potestatem.*

3. *Occu-*



3. Occupatio erit, horrendas, impias, & infernali statu etiam indignas, in Deum blasphemias eructare, & vomere, & nunquam cessare: nunquam Deum videre: imò visionem ejus execrari.

4. Respuere Deum: eumque nolle existere, nolle bonum, nolle justum esse: velut in injustum debacchari: tanquam malum, pessimumque execrari.

5. Christum, ejus Matrem, omnes Sanctos odisse, execrari, blasphemare: beneficia abhorere, & abnegare.

6. Maledicere perpetim omnia. Cælum, & omnia quæ in cælo, terram, maria, contenta in his: Infernum quoque, & omnia quæ in eo sunt, ignem, sulphur, fumum, fætore, fæditates, clamores, sempiternum horrorem, vermes damnationis socios, dæmones.)

7. Christi Incarnationem, Vitam, Passionem, Mortem, Gloriam, Virtutes, Merita, Fidem, Doctrinam, Sacramenta, Ecclesiam, & quidquid est salutis, sanctitatis, benedictionis, in Redemptore, ac redemptione, execrari, detestari, odisse.

8. Odisse & ejurare omne bonum, sive Dei, sive Christi, sive Sanctorum, sive viventium hominum, sive etiam damnatorum, sive suum proprium. Odit enim damnatus etiam suum Esse, suam vitam, animam, personam, corpus: odit quidquid forte boni gessit in vitâ suâ: odit virtutes tam suas quàm alienas: odit ipsa peccata propria, & aliena, non ad pœnitentiam tamen, sed ad rabiem.

9. Occu-



9. Occupatio, odisse Sanctos, illis invidiare, insultare, exprobare lapsus, dolere de inventâ apud Deum gratiâ ac veniâ: fugillare eorum pro Deo, Christo, Cælo labores.

10. Odisse seipsum, & scelera sua: odisse impios omnes, etiam dæmones, & omnia eorum scelera: & pœnas suas: eorumque odisse creationem, conceptionem, nativitatem, ætatem, vitam: omneque vitæ momentum: omnem statum, omnem occasionem ad bonum & salutem: omnem occasionem ad peccata: omnem materiam, socium, magistrum, imitatorum, complicemque peccatorum suorum: omne tempus, horam, diem, locum, modum peccandi: omnem peccatorum, voluntatem, legem, materiam, fomenta.

11. Desperare, desperatè agere, vivere, vociferari, rabire, rugire, ejulare, flere, dentium stridore concuti, præ desperatione ullius boni, & præ desperatione finis, vel minimi malorum suorum mali. Scit enim quilibet infelix; Æternitatis invincibili repagulo obstructa esse omnia.

10. Ecce hi sunt, non dubii, æterni tamen omnino labores eorum, quos misera æternitatis abyssus absorbuerit. Quisquis es ô Homo; expende ista, corde tum fidei, tum attento. Delige, quam tibi provenire velis æternitatem. Tua res agitur: tua solius interest: nemo pro te: sed tu in personâ tuâ, aut beatus, aut miser esse debes in æternum. Ex te quærit, quod ex omnibus quærit, *Isaias; Quis ex vobis poterit habitare cum igne devorante: cum ardoribus sempiternis?* Tibi quoque affirmat, quod omnibus affirmat

*Is 34. 14.*



Christus; Gaudete, & exultate quoniam merces *Matt. 5. 12.*  
*vestra copiosa est in calis.* Habes ante te Mortem,  
& Vitam: ad quod extenderis Manum; hoc est,  
Operationem tuam, Morte, aut Vitâ æternâ di-  
gnam; dabitur tibi.

P R A X I S.

O Æterne: & omnis Æternitatis fons DEUS:  
qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ  
aditum, devictâ morte reſerasti; da nobis recogitare  
dies antiquos, & annos æternos in memoria, in in-  
tellectu, in voluntate semper habere: ut in tempore  
seculi hujus, sic omnia temporalia pertranſeamus: ut  
& mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna  
bona consequamur. Per eundem Dominum no-  
strum &c.

EXERCITIUM VII.

De Arcta, & Spatiosa via ad Æternitatem.

1. Statue te socium Davidi sancto: dies anti-  
quos cogitanti, & annos æternos in mente  
habenti, memoriâ reſolente, intellectu confi-  
derante, voluntate deligente, & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter: Nam & tu Homo  
es, exigui super terram temporis: habens quo-  
tidie, quin omni horâ, atque adeo momento, in  
temetipſo reſponſum mortis, atque ad emigran-  
dum hinc, indictam invictamque necessitatem.  
Unide necesse est ut omni momento, non tam  
hinc migrare ipse paratus sis; (hoc enim sive no-  
lente, sive volente te fiet,) quàm ut omnia ad  
iter æternitatis necessaria, profuturavé, colle-  
cta, convalataque habeas: ut te ad beatam æter-  
nitatem

V. P. Druzb. Op. V.

Rr

nitatem



*Apoc. 14. 13.*

nitatem comitentur, eique toti, sive in eâ tibi abundè sufficiant, impleaturque in te illa Benedictio; *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Opera enim illorum sequuntur illos: & illa alia; Dicitur justo, quoniam bene, quoniam fructum adventionum suarum comedit.* Porrò illam quæ inibi mox subjungitur evadas miseræ æternitatis maledictionem; *Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.*

3. Concuti solent frequenter homines, quæstione, ac simul dubitatione illâ, satis quidem perplexâ, satis & prægnante: Numquid sum ex Electis à Deo ad Vitam æternam? an verò reprobatus ad mortem item æternam? O si hoc scire possem! ô unde hoc scire possem? Quæstio laudabilis digna cui satisfiat: & dubitatio justa quæ expediatur. Et præstant hoc ex sapientibus multi: at nemo melius quàm Sapientia ipsa.

*Luc. 13. 23.**Luc. 13. 24.*

4. Dominus noster JESUS Christus, Magister viam Dei in veritate docens: ita quæstionem, & dubitationem hanc solvit. Interrogatus enim à quopiam; *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Dominus ita satisfecit; *Contendite intrare, sive; intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.*

5. I nunc quisquis es quære, si pauci sunt qui salvantur? Inunc quære unde sciam; Electus ad vitam, an reprobus sim ad mortem? Ecce mihi homo, duas vias, duas portas habes ante te. Una; arcta via & angusta porta: altera; spatiosa via, & lata porta: prior ducit ad vitam, intel-

lige a  
parite  
ciore  
inve  
trant.  
tæ æt  
salvan  
porta  
multi

6  
nosse  
tem si  
que p  
per ar  
tu ad  
usque  
viam  
biè va  
nifi m  
angu  
tam.

7  
Dom  
ad Vi  
duce  
form  
Arcta  
teste  
data.  
nit ac  
suum  
tres,  
non p  
Cruc



lige æternam: posterior ducit ad perditionem, pariter æternam: priorem pauci inveniunt, pauciores verò intrant: non enim omnes etiam qui inveniunt, eam intrant: posteriorem multi intrant. Ergo pauci sunt, qui viam & portam vitæ æternæ intrant: ac ideo etiam pauci sunt qui salvantur: rursus verò, multi sunt qui viam & portam perditionis æternæ ineunt, ac per hoc multi sunt qui pereunt.

6. Nunc ergo mi homo tu circumspice: vis nosse; electus ad vitam, an reprobatus ad mortem sis; attende: quam ex duabus hisce viis, atque portis ineas, & per quam incedas. Intras per angustam portam, per arctam viam? vadis tu ad vitam, & electus es ad illam, si perseveras usque in finem: at verò si intras per spatiosam viam, & incedis per latam portam: sic tu indubie vadis ad perditionem, & reprobatus ad illam: nisi maturè discesseris ab eâ: & per arctam viam angustamque portam contenderis intrare ad Vitam.

7. Sed fortè nescis quæ sit hæc, in Christi Domini sensu arcta via, & angusta porta ducens ad Vitam? & quæ item spatiosa via, & lata porta ducens ad perditionem? Audi etiam de hoc informantem te, ipsam Dei Magistram Veritatem; *Arcta est via, & angusta porta quæ ducit ad vitam: Matt. 7. 14.* teste Domino: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Arcta est via etiam eodem teste; Si quis venit ad me ( utique ad vitam ) & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores; adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et; qui non bajulat Crucem suam & venit post me non potest meus esse*



*Matt. 19. 1.* discipulus. Arcta est via & illa; Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in caelis.

*Matt. 5. 3.* lo. Denique arcta est via illa; Beati pauperes spiritu: beati mites: beati qui lugent: beati qui querunt iustitiam: beati misericordes: beati mundum corde: beati pacifici: beati qui persecutionem patientur propter iustitiam: & cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: quoniam vestrum est regnum caelorum, & merces copiosa in caelis.

8. Jam verò quæ sit spatiosa via, & lata porta in ejusdem Domini nostri sensu: audi ipsum Dominum definientem. Invitati ad cænam, ut venissent, quia parata sunt omnia: ceperunt omnes excusare. Primus dixit invitanti servo: Villam habeo, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: iuga bovum habeo quinque: & eo probare illa: rogo te habe me excusatum: Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire: de his omnibus dixit Dominus: Nemo virorum illorum gustabit cænam meam.

*Luc. 14. 20.* Audi adhuc, eundem Dominum de eadem via monentem; Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vite, & superveniat in vos repentina dies illa iudicii extremi. Et iterum dicentem Dominum audi de spatiosâ vitâ; Sicut factum est in diebus Noe, ita

*Luc. 21. 34.* erit & in diebus Filii Homini. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias: emebant, vendebant: plantabant & edificabant. Audi etiam, imò vide exemplum Homini spatiosâ vitâ tendentis ad perditionem; Homo quidam erat dives,

qui in  
splend  
bus ple  
cadeban  
tuus est

9. que via  
illam q  
fructu  
ra carni  
dicitia,  
micitie  
sensione  
comessan  
sicut pr  
Dei non  
Charita  
nitas,  
continer  
suam cr  
spiritu

10. ribus v  
vitam;  
quam i  
tillimu  
æternit  
num;  
usque  
verit in  
ad mife  
simum  
deria &



qui induebatur purpura, & bysso: & epulabatur Luc. 16. 21.  
splendide: ad ejus januam Lazarus mendicus, ulceribus  
plenus jacebat, cupiens saturari de micis, quæ  
cadebant de mensâ divitis, & nemo illi dabat. Mor-  
tuus est autem dives, & sepultus est in inferno.

9. Sed audi etiam Apostolum Christi utram-  
que viam spatiosam, & arctam designantem:  
illam quidem; sub nomine operum carnis, &  
fructuum spiritûs: Ait ergo: *Manifesta sunt ope-  
ra carnis: quæ sunt, fornicatio, immunditia, impu-  
dicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, ini-  
micitia, contentiones, emulationes, ira, rixæ, dis-  
sensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates,  
comestiones, & his similia: quæ prædico vobis,  
sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum  
Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est;  
Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bo-  
nitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia,  
continentia, castitas. Qui autem Christi sunt, carnem  
suam crucifixerunt cum vitiiis, & concupiscentiis. Si  
spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

Gal. 5. 20.

10. Ecce habes homo definitam suis colo-  
ribus viam utramque. Vis nosse an sis electus ad  
vitam; an reprobatus ad perditionem? adverte  
quam insistis & calcas viam, & scito, comper-  
tissimumque habeto: quia electionis ad vitam,  
& æternitatemque beatam, signum est testatissi-  
mum; arctam viam amare, inire, decurrere, &  
usque in finem perseverare. *Nam qui persevera-  
verit in finem hic salvus erit.* Reprobationis autem  
ad miseram æternitatem, signum est indubitatis-  
simum, spatiosam viam, secundum carnis desi-  
deria & opera, insistere, decurrere, consummare.

Matt. 24. 13.

Rr 3

Secun-



Secundum hæc ergo mi homo, fac deliberationem, fac electionem, fac conclusionem.

II. Neque verò confugas ad infinitorum hominum deceptricem procrastinationem: scilicet fundatam super illam Domini promissionem, quam promittit, peccatori cuique veniam, si ille ab omnibus suis peccatis pœnitentiam egerit, & omnia præcepta Dei custodierit. Nequam huc confugas, & malè sanæ fiducia tuæ hanc periculofam umbellam prætendas.

*Prov. I. 24.*

1. Quid si enim tibi respondebit Dominus idem ille promissor veniæ: *vocavi, & renuisti, despicisti omne consilium meum: ego quoque in interitum tuo ridebo?* 2. Quid si Dominus, qui pœnitenti veniam promittit: pœnitendi tempus negabit? est enim legis, veniam promissam tibi pœnitendi, nunquid etiam legis, tempus promissum tibi pœnitendi? 3. Quid si Dominus, cujus donum, & magnum quidem, est pœnitentia vera, negabit tibi: quod ut deneget, tu millies sceleribus tuis, maxime procrastinationibus, & in spem peccatis repetitis, demeruisti tibi? 4. Quid quod ex millenâ pœnitentiâ serâ, vix una reperiatur coram Deo vera? Quis credet tuæ pœnitentiæ tunc primùm conceptæ, quando tibi defluxit tempus etiam sceleratæ agendæ vitæ? tunc tu poteris nullo negotio verè pœnitere, contra omnem morem tuum, quando jam nec consueta longo usu sceleris poteris patrare juxta pristinum usum? utique difficilius contra usum pœnitere, quam secundum usum diuturnum delinquere. 5. Homines pii, & suæ salutis perstudiosi, qui quotidie plures in diem exercent actus contritionis, ac pœnitentiæ, raros tamen, suo etiam iudicio, attingu-

attingu  
peccati  
mum,  
ultimo  
cordis.  
riam?  
tia aux  
cto, &  
probab  
lenis ta  
felix.

Ho  
Domi  
per Jer  
nem. Q  
quemad  
alis, &  
stra dese  
omni b  
tantam  
cius, in

No  
noli in  
procras  
tim, de  
portâ:  
pereun  
tam, te  
& omni  
trant: se

O A  
n  
tum, de



attingunt perfectos actus pœnitentiæ: tu cui de peccatis, serîo præsertim dolere, neglectissimum, & inusitatissimum est; promittis tibi, in ultimo, vel penultimo vitæ halitu, contritionem cordis, & pœnitentiam omnino veram, & feriam? Possè illam à te haberi, cum Divinæ gratiæ auxilio, non dubito: sed habiturum te defaecto, & reipsa, tu quidem nunquam mihi comprobabis: & ego semper dubitabo: & ex milienis talibus, vix unus reperietur coram Deo, ita felix.

Horresce homo, & cave experiri in te illud Domini nostri pronunciatum: non tantum super Jerusalem, sed etiam super omnem Hominem. *Quoties (sapius) volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Deserta à Deo, à gratiâ, à salute, ab omnibono, à vitâ, & beatitudine æternâ: solis tantummodò peccatis, peccatorumque supplicis, in miserâ æternitate inhabitandâ.

Noli ergo Homo, noli in spem peccare: noli in spem; pœnitentiam, & emendationem procrastinare: citò, citò, ac prorsus statim statim, detrahe pedem tuum de spatiosâ viâ & latâ portâ: non attende multos euntes, sed multos pereuntes: ad arctam viam, ad angustam portam, te omnino admove. & contende intrare: & omnino intra: Non attende, quia pauci illac intrant: sed attende, quia ad vitam æternam intrant.

## P R A X I S.

**O** Aeternæ: & omnis Aeternitatis fons Deus: qui nobis per Filium tuum, aeternitatis beatæ adiutum, devictâ morte reiferasti; da nobis recogitare dies

Rr 4

anti-



*antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu in voluntate semper habere: ut in tempore seculi beatus, sic omnia temporalia pertranseamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.*

*Quoniam perutile est plusculum circa Æternitatem occupari, idcirco octavum & nonum Exerctium addere visum est.*

## EXERCITIUM VIII.

*De Industriis quotidiana conversationis cum Æternitate.*

1. **S**Tatue te cum Beato Davide cogitante dies antiquos & annos æternos in mente habente, memoriâ recolente, intellectu ponderante, voluntate diligente & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter: & tu enim æternis annis, sive æternitati natus es: præfixusque tibi etiam est terminus æternitatis: ad quem interminabiliter determinandus es.

3. Quoniam ergo cum Æternitate aliquando mansurus, & permansurus es; perquam optimo uteris consilio; si in præsentî vitâ & tempore, infueveris convictui & familiaritati illius: si cum illâ occupari, ad illam disponi, atque preparari, illam tibi demereri atque promereri studueris: ut cum dies ejus advenerit, bonam tibi, beatam, beatificantemque te obtineas & possideas.

4. Ad quod proderit tibi Industria, sive occupatio cum Æternitate.

1. Indubitanter, & certocertius scire: omnino expectari te ab æternitate: & te totis passibus, omnibusque vitæ tuæ tam momentis quam actibus



actibus ad *Æternitatem* tendere atque festinare. Et cum duplex sit *Æternitas*, ad alterutramque te pervenire omnino necesse sit; omne vitæ tuæ præsentis instans, eâ tibi conditione excurrit, ut te in æternitatis pelagus invehat: & omnis vitæ tuæ præsentis motus ea pariter conditione abs te fiat, ut te in alterutram *Æternitatem* comitetur: eamque tibi conciliet: tecum in eâ duraturus perenniter. Nonne prudentis est animi, & hoc indubitanter scire, & hanc curam nunquam deponere, ut beatam potius exploratâ certitudine; quàm miseram, necessitate voluntariâ incuras, obtineasque semper deflendam æternitatem?

2. *Industria*: cum æternitate quotidianæ conversationis, perpetuam memoriam æternitatis bonæ aut miseræ habere: perpetuò (quantum vires animi & corporis sinunt) de æternitate, cogitare: atque cum Davide annos æternos tibi omni momento advenientes, totisque passibus accelerantes, in mente habere. Sive tu cogites de *Æternitate*, sive non cogites: venit illa tibi. Sive cogites, cures, agas, ames, conseceris, elabores, spiritualia, Cælestia, Divina, æterna, sive oblitus horum & negligens; cogites, congreges, elabores carnalia, mundana, caduca, maligna, Deo & ejus voluntati inimica, Diabolo soli amica & placita; venit nihilominus tibi æternitas: cogitationibus laboribusque tuis condigna. Ergo memento semper & inter omnes, curas tuas æternitatis: unaque ac sola tibi in mente voluatur æternitas. O *Æternitas!* ô quando, ô qualis advenies mihi æternitas! O *Æternitas*, quantum me invenies: qualem te inveniam? O quid curo, si beatam *Æternitatem*

Rr 5 non



non curo? O quid incurro, si maledictam æternitatem incurro? Si sciens nesciens, si volens nolens, æternitati laboro; non insanissimus & reprobatus sum, si volens, sciensque, potius infelicissimæ, & diabolicæ, quam beatissimæ, DEO placitæ, Divinæque Aeternitati laborem.

3. *Industria.* Resolvere sese animo pleno, prudente, sciente ac volente, ad Aeternitatem, ejusque ingressum, & inhabitationem: atque veluti pactum indissolubile cum ea jam nunc pacisci: quod nimirum, & dum hîc vivis, de ea semper curam gerere, & post hanc vitam ad ejus complexum finumque velis demigrare. Sed vide, & per omnia diligenter vide: ut hoc pactum sit cum æternitate bona, Beatâ, Divinâ, non verò cum misera & infelici atque perdita. Vide: ut hoc pactum excitet te semper ad ea procuranda, quæ sunt beatæ, ad expurganda ea, quæ sunt miserae æternitatis. Nam nisi hoc, in pacto isto tuo contentum, atque à te inter primas conditiones curatum fuerit; pactum quidem pactum erit: sed Beata æternitas valde incipiti, misera autem in explorato atque certo tibi erit. Quotidie ergo dispicito ipse tecum, cui nam tuum pactum deserviat, teque adaptet æternitati. Itemque, cui nam actus tui quotidiani deserviant Aeternitati?

4. *Industria:* sperare, optare, desiderare totis atque cunctis vitæ tuæ momentis & actibus Aeternitatem, sed Beatam, sed felicem, sed Divinam: & simul ejusdem assiduam & condignam gerere curam. Nulla tibi vivendi, nulla agendi particula excurrat, quæ non in beatam Aeternitatem unâ tecum incurrat, in eâque thesaurum tibi



tibi componat, & cumulet. Nullum sit agendi momentum, quod ad miseram Æternitatem quantulocunque modo te inclinet, vel disponat. Sed omni possibili diligentia attende tibi, & vitæ tuæ, & operibus tuis: atque illa ad normam Æternitatis tam beatæ quam miseræ examina: iustumque de illis iudicium, juxta censuram momentumque æternitatis decerne.

5. Industria: Timere, horrere, execrari, deprecari, fugere & fugare à te totis viribus, diligentisque, imò & laboribus atque sumptibus, miseram æternitatem: ac simul attentè prævidere, ne quid in vitâ tuâ, ne quid in desideriis, studiis, curis, operibus quibuscunque tuis, resideat; nequid in ullis latebris cordis mentisque tuæ delitescat; quod misera æternitas in te inveniens, suum recognoscat: & tecum in sese devolvat, atque absorbeat. Sit tibi Anima tua, hoc est, opera omnia Animæ tuæ, in manibus tuis semper: quidquid enim ad Æternitatis negotium prodest, nimium esse non potest.

6. Industria: Confundi, atque tum apud propriam, tum apud Divinam conscientiam erubescere, de præteritâ, & de præsentî circa negotium æternitatis negligentia: simul & de damnis incurfis, de bonis amissis, malis perceptis ex eadem. Quisquis de rebus salutis recte iudicat, fateri cogitur omnia sive bonorum Animæ suæ lucra, sive ejusdem omnia detrimenta, ex neglectu & oblivione Æternitatis sibi provenisse: nunquam proventura; si condigna in mente de annis æternis, deque negotio æternitatis cura & diligentia viguisset. Cujus asserti tot sunt testes



stes experimentales, quot seu Beatam, seu miseram Æternitatem hæctenus incolunt.

7. Industria: Ascendere indentidem (& quidni scæpè?) mente, ad Beatæ Æternitatis Incolas: descendereque item ad miseræ æternitatis mancipia: & utrorumque statum, omnibus quoad licebit tam Animi quam Corporis sensibus, explorare & perscrutari: adire, & alloqui ipsomet: ex iisque intelligere accurate; quid boni desit, quid mali adsit his atque illis: intelligere ex illis; quibus modis, qualium operum subsidiis; isti beatam sibi demeruerint, illi, in infericem devoluti sint æternitatem. Auditis verò utriusque partis enartationibus, & nimium veracibus testimoniis, proprium circumspicere statum, propriam cum utrisque conferre conscientiam, componereque causam, & videre, cui potissimum parti assimilata accedat: & quorum se esse similem, sibi expediat. Utilissimè in huiusmodi confabulatione cum beatè misereque æternis, temporis consumetur quam plurimum. Neque metuendum est; ne in superflua vel noxia, vel otiosa; cordis vel oris sermo defluat. Omnia enim hoc in congressu visa, audita, cogitata, dicta, toti deservient æternitati.

8. Industria: Dolere, atque pœnitere ex animo, idque crebriuscule, damna præteritæ negligentia, ignorantia, dilationis, cessationis, vilipensionis: sunt enim damna æternitatis, quæ semel incurrisse, fatis est: repetere autem illa, nonne extremæ insanix est? In hoc comprobanda est Deo & conscientia nostra vera nostra de præteritis damnis pœnitentia: si sese ad nos nun-



nunquam deinceps revolvat pristina in negotio æternitatis incuria.

9. Industria: Proponere, atque etiam ipsum numerum tempusque certum definire: quo singulis diebus negotium æternitatis pertractetur: an, & quoties, & quomodo, & quo profectu Animæ pertractetur: quibus curis hoc negotium impediatur, quibus amplius adhuc promoveri possit? Omnino pervidendum: providendumq; est efficaciter in hoc negotio, ne parvæ & nihili ad æternitatem res; magnas, & nimium quidem magnas, quoniam æternas impediunt: quod tamen fieri, sicut stultissimum & perniciosissimum, ita & usitatissimum est.

10. Industria: Cum Animo suo quàm firmissimè decernere: atque statuere: curam negotiumque æternitatis semper in memoriâ habere: idque in te prima vitæ totius studia numerare: omnes alias sibi curas intercipi facilius permittere: at negotium curamque æternitatis æternâ, æternaturâque diligentia firmitate defendere. Qui æternitate salvâ, amisit quamvis omnia, nihil amisit: qui æternitate perditâ salvavit omnia; perdidit is omnia.

11. Industria: Hoc animi Decretum, accuratè & profundâ mentis de suis viribus diffidentia, Deo recommendare, auxiliumque gratiæ illius constantissimâ frequentia implorare.

12. Industria: In harum aut similium industriarum usu quotidiano, nunquam fatigare, nunquam tepescere: sed ob repentem ex infirmitate nobis usitatâ languorem, innovare: atque cum ope æterni Dei, meritisque JESU Christi, & Matris Virginisque æternæ, & omnium Beatæ æter-



æternitatis Incolarum, precibus & exemplis reassumere, & quotidie amplius vigori restituere, atque in eo roborari.

Hiscæ industriis, addat qui volet, seu plures, seu alios suo statui, spiritui, placito, prudentiæ suæ alienæve servientes: malum superfluumve esse non poterit; quidquid æternitati obtinendæ, infelici effugiendæ profuerit.

## P R A X I S.

**O** *Æterne: ac totius Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum Æternitatis beatitudinem aditum, devictâ morte reserasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, intellectu & voluntate semper habere; ut in tempore sæculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.*

## EXERCITIUM IX.

*Qualibus operibus obtinetur æternitas misera vel Beata?*

1. **S**tatue te cum Beato Davide, cogitante dies antiquos, & annos æternos in mente habente, memoriâ recolente, intellectu ponderante, voluntate diligente & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter: non enim licet tibi quoque excutere jugum æternitatis: sed velis nolis; subire illud, ac æternaliter portare debes.

3. Est autem hic Rhodus, hîc saltus: hac invitâ operam dare; ut jugum hoc reddas tibi tuo labore portabile & appetibile, suave & jucundum, pretiosum, honorificum, nunquam fasti-



fastidiosum, semper, ampliùs, ampliusque desiderabile, amabile, sitibundam satietatem, sitiabundamque sitim ac famem perenniter fovens. Non autem sit importabile, abominabile, exosum, execratum, superque omnia meritò detestanda, sed nunquam pro merito satis detestanda.

4. Et cùm huic negotio, negotiorum omnium negotiosissimo atque gravissimo, sola penitus opera hujus mortalis vitæ idonea sint, & juxtà eorum tantùm qualitatem, misera vel Beata assignetur attribuaturque æternitas; Operæ pretium est: scire quibus & qualibus operibus hac in vitâ obtineatur, alterutra ex prædictis æternitas. Ut enim in Rebus publicis, mercibus quibusdam assignata sunt certa pretiorum genera, quæ necesse est omnino ab Emptore præsentari, si merce aliquâ vult potiri; ita etiam in Republicâ Dei atque futuri sæculi, merci æternitatis sive miseræ, sive beatæ, assignatum est pretium operum hac in vitâ elaboratorum, atque in futurâ exhibendorum: ut merx Æternitatis, vel miseræ, vel Beatæ obtineatur.

5. Et serviunt quidem ad hoc propositum, dicta supra Exercitio septimo, hujus partis: quæ tamen hoc loco adducuntur, explicatoria sunt, & dilucidius rem proponunt: quoniam expressius qualitatem operum æternitati utrique deservientium manifestant.

Primum igitur: ad Beatam æternitatem nihil profunt, imò verò obsunt: ad miseram verò Æternitatem deducunt ac devolvunt: opera mala omnia, legi & voluntati Divinæ contraria, ejusque transgressiva, lumini recte rationis repugnantia, pro-



Apo. 21. 8.

proptereaque iniqua & perversa, doctrinae item Fidei Christianae dissona. De his operibus Johannes Apostolus disertè ita pronuntiat; *Timidi, & increduli, & execrati, & homicidæ, & fornicatoribus, & veneficis, & idololâtris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti ignis, & sulphure, quod est mors secunda.* Et rursus idem

Apo. 22. 16.

alio loco, ait; *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Paulus quoque Apostolus, longum texit catalogum eorum operum, quae

Gal. 5. 2.

excludunt à beatâ: concludunt autem in misera æternitate: ait enim; *Manifesta sunt opera carnis, eademque perditionis: quae sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, emulationes, irarixae, dissensiones, sectae, invidia, homicida, ebriitates, comessationes, & his similia, quae prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et rursus alibi sic ait; Sicut

Rom. 1. 28.

non probaverunt Deum habere in notitiâ: tradidit illos Deus in reprobum sensum: ut faciant ea quae non conveniunt: repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione; dolo, malignitate, susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompósitos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia: qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Adhuc autem alio loco pronuntiat; *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque*

Gal. 3. 28.

forni-



fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque fures, neque avari, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Possunt huc adduci & illa ex eodem Apostolo; Qui volunt divites fieri, *i. Tim. 6. 9.* incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem; Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide & inseruerunt se doloribus multis, iisque etiam æternis. Non est præmittenda hic etiam Domini nostri ipsius Jesu Christi denuntiatio, dicentis; *Quæ de corde exeunt, ea Matt. 15. 18.* coinquinant hominem. De corde enim exeunt, cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hæc ergo & his similia opera, aditum ad Æternitatem, beatam quidem intercludunt; ad miseram verò aperiunt: atque in eam præcipitant.

Jam verò opera quæ ex fide Christianâ non sunt, seu quæ fides supernaturalis non imperat, non sublimat, non facit; sed intrâ puræ naturæ ordinem subsistunt; ad beatam æternitatem, neque perveniunt: neque deducunt: Non enim natura potest pertingere ad supra naturam: cum sit inferioris ordinis. Est autem Beatitudo, sive Beata Æternitas, maximè supernaturalis: imo clausula & finis consummatioque omnium supernaturalium. Ideo dixit Apostolus: *Omne Rom. 14. 23,* quod non est ex fide peccatum est: hoc est; ad vitam æternam non prodest operanti. Sicut & Dominus Jesus eodem sensu affirmavit; *Sine me Jo. 15. 5.* nihil potestis facere: quod nimirum prodest ad vitam beatam: sed oportet operantem, in Christo esse:



642 *Exerc. IX. Qualibus operibus obtinetur esse: in Christum credere: in Christo vivere: per Christum ac per unionem ejus operari.*

*Rom. 1. 17. enim ex fide vivit.*

Opera etiam quæ non sunt in Deo facta hoc est; quæ extra gratiam & amicitiam Dei facta sunt, ad Beatam æternitatem, neque perveniunt: neque perducunt. Scriptum est enim

*1. Cor. 13. 1. quia sine Charitate nihil sum, nihil mihi prodest ad vitam æternam.* Talia enim opera, quia non procedunt, à subjecto operante vivente vitæ Gratiæ sanctificantis; nec participare meritorum Christi; ideo sunt mortua, & inutilia ad salutem.

Opera quoque, bona quidem naturâ suâ & ordine suo; at malâ intentione depravata, ad beatam æternitatem non profunt: sunt enim infecta veneno intentionis malæ, vitio amoris proprii, vel superbiæ, vel alicujus alterius. Talia

*Matt. 6. 5. sunt opera illorum: qui faciunt ut videantur ab hominibus: & laudentur orantes, jejunantes, Eleemosynam facientes; talibus dicitur: receperunt mercedem suam: non ergo recepturi divinam æternam.*

Opera item bona quidem, & benè ac ex fide per Charitatem in gratia Dei facta, sed postmodum superveniente mortali, etiam unico peccato mortificata; ad beatam æternitatem non profunt: nisi denuo per condignam hujus vitæ pœnitentiam, ad vitam gratiæ & Charitatis redeunte Animâ, vivificentur etiam ipsa.

Mitto opera facta sine rationis usu, & arbitrio libero: ut sunt amentium, infantium, dormientium, ebriorum, coactorum coactione gravi, ignorantium etiam invincibiliter, casu fortuitoque operantium: & hæc enim beatæ æternitatis

tati no  
nes nu  
Et non  
æterni  
cus no  
Ad  
proficu  
talia.  
Prin  
objecto  
vel salte  
na nec  
& super  
dineque  
Secu  
berè &  
Ter  
ab amic  
Qua  
tem,  
nempe  
Qui  
cumstan  
Nam v  
de fove  
tam m  
eleemo  
Deum  
tionem  
tati serv  
tum.  
E  
exaudia  
Item;  
vestra.



tati non profunt: cùm etiam vulgò apud homines nullam approbationem aut pœnam habeant. Et non deducunt hæc quidem ad perditorum æternitatem, nihilominus etiam in beatâ eis locus non est.

Ad beatam ergo æternitatem necessaria, vel proficua opera, ut sint aliqua; debent esse talia.

Primò, ut sint naturâ & ex objecto, vel ex objecto, vel simpliciter bona, & honesta, ac licita: vel saltem ex se quidem indifferentia, ac nec bona nec mala, sed tamen intentione bonâ & rectâ, & supernaturali honestata, ac sublimata: ex ordineque naturalium ac indifferentium educta.

Secundò, ut sint opera Humana: hoc est liberè & deliberatè facta.

Tertiò, ut sint facta in Charitate & gratiâ, & ab amico Dei.

Quartò, ut sint vel ex se, vel ex intentione saltem, supernaturalia: & proportionata fini suo, nempe vitæ æternæ.

Quintò, ut sint opera, à conditionibus circumstantiisque malis associatis non inquinata. Nam v g. Deum orare, & odium proximi in corde fovere; jejunare, & maledicere; vel vindictam meditari; aut avaritiæ studere; ex rapto elemosynam dare; non placet DEO: neque Deum placat: sed potius iram ejus & indignationem accendit: nec beatæ sed miseræ Æternitati servit: juxtà illud: *Fiat oratio ejus in peccatum.* Et; *Cùm multiplicaveritis orationem non exaudiam: manus enim vestre sanguine plene sunt.* Item; *Ecce in jejniis vestris invenitur voluntas vestra.*

*Pf. 108. 7.*

*If. 1. 15.*

*If. 58. 3.*





Ad istas condiciones bonorum operum tamquam necessarias, accedere possunt alia: non planè quidem necessaria: si tamen adsint, multum valoris operibus bonis addunt: ut beatam æternitatem, condigne mercari, seu mereri possint: ejusmodi sunt

1. Facere opera bona, sublimi defecataque intentione: puta ad puram Dei gloriam, eamque majorem semper, & ad quam maximum gustum contentationemque gustus Divini, & Voluntatis ejus: absque intuitu proprii commodi, quatenus proprii, etiam spiritualis: sed purè gratis, propter solum purumque Dei placitum.

2. Facere in unione meritorum Christi, ex imitatione, & cum imitatione, & gloriâ Christi, Beatæ Virginis Matris, & omnium Electorum.

3. Facere expurâ, & cum insigni, intensaque, & appretiante summè Deum, Charitate.

4. Facere ex plurium Virtutum, etiam quoad gradum excellentium motivo, imperio, exercitio actuali.

5. Facere ex insigni, & cum eximio fervore animi, ac voluntatis: cum liberali in Deum affectu, affectusque conatu: eoque incessabili, infatigabili, insatiabili.

6. Facere cum extensione ad plura bona: potissimum; Zeli Gloriæ Dei, Animarum salutis, perfectionis tam propriæ quàm alienæ, &c.

7. Facere cum adjuncto condimento aliquo bono: v. g. Mortificationis internæ & externæ: Victoriæ alicujus sui: propter amorem & gloriam Dei, Christi, Beatæ Virginis & Charitatis in proximos: condonationis injuriæ: Eleemo-

synæ e  
Anima  
8.

propri  
tributi  
que g  
Meriti  
nitum  
vobis  
buimu  
tium su  
est.

Sand  
tu

tuum

Vol

sine qu

Volun

Om

& sec

Aff

in Te

Aa

Im

pro o

seu, fa

um, a

He

Ju

On

sione.

O

synæ



synæ corporalis vel spiritualis: speciatim erga Animas purgatorii.

8. Facere omnia cum verâ & internâ spiritûs proprii humilitate: sui que diffidentiâ: cum attributione omnis boni, uni, & soli Deo: ejusque gratiæ, ac miserationi: & Christi Domini Meritis: juxta illud ejusdem Domini nostri monitum; Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Hæc conditio non tantum superogationis, sed etiam planè necessaria est.

*P R A X I S.*

*S*anctissima Trinitas unus Deus, Pater, Fili, Spiritus Sancte. Ego N. creatura tua, mancipiumque tuum naturale, voluntarium, Æternum.

*V*olo, esse & mutari, facere & pati, ex tuâ Gratiâ sine quâ nihil sum, cum quâ omnia sum, & possum, ex Voluntate & Electione meâ deliberatâ;

*O*mnem voluntatem tuam, ad Voluntatem tuam, & secundum Voluntatem tuam.

*A*ffectu, gustu, Corde tuo Divino, sponsali autem in Te meo.

*A*dquatè omni obligationi, & capacitati meæ.

*I*mpersonatè etiam ad omnes Creaturas, & simul pro omnibus illis: Sacrificativè, & Holocaustificativè, seu, faciendo tibi me, & ex me, per omnia Sacrificium, atque Holocaustum.

*H*eroice, sublimiter, perfectè, & super habitum.

*J*uxta mensuram Gratiæ, Auxilii tui.

*O*mnium intentione, omni intensione, omni extensione.

*O*mnium proportione, omni circumstantiâ.



646 Exerc. IX. Qualibus operibus obtinetur

Atomice, seu per omnes atomos mei, & omni  
Creaturæ: abyssaliter, insatiabiliter, incessabiliter,  
insatigabiliter.

Cuncticreatè, cunctibeatè, cunctiseraphicè, Ma-  
rianè Christianiter, Christiformiter, Deiformiter, Di-  
vinè.

Sine ullo mereri meo; certe non propter meum:  
sed ad solum, purum, omnique magno majorem, Gu-  
stum Divinum tuum.

Sine nidulo quietis meæ, sine portu voluntatis  
meæ, sine respectu, & compendio Amoris mei proprii  
atque privati.

Desperative prorsus de me, sperative in Solo Te  
DEO meo.

Cum expectatione censuræ, linguæ, ingritudi-  
nis, contemptus, sterilitatis, impedimenti ab omni-  
bus Creaturis.

Ad confusionem faciei meæ.

Ad spem, amorem, desiderium, gustum Crucis.

Ad mensuram Dignitatis tuæ, debitique mei, ad  
mensuram amabilitatis tuæ, ad mensuram amativi-  
tatis meæ.

In finem Adorationis, Imitationis, Gratiarum ac-  
tionis, Laudis, Satisfactionis, in Misericordiæ tuæ,  
& Christi sanguine Balneationis, postulationis &  
impetrationis omnium, quorum tu scis, potes, vis,  
suppletionis damni, debitique mei omnis, dispositio-  
nis quoque ad omnes gratias actuales, habitualesque,  
ad Sacramenta, & Sacrificia.

Tanquam primum & ultimum, efficaxque medi-  
um meæ salutis, tuæ verò Divinæ laudis & exalta-  
tionis.

Tanquam ex Voto: semel, pro semper: cum abyssal-  
li reverentiâ Præsentie tuæ.

Dignè



*Dignè te, toto me, Toto Te.*

*Ut tibi placeam, quia mihi places, ut mihi placeas, ut omnibus placeas, ut tibi omnes placeant: amplius & amplius in æternum: denique ut sis id quod es in æternum & ultra, & quamdiu Tu es: Sanctissima Trinitas Deus meus, & omnia mea, & omnium. Amen, Amen, Alleluja, fiat fiat in æternum, & ultra, & adhuc.*

**O** *Æterne; & omnis Æternitatis fons Deus: qui nobis per Filium tuum, Æternitatis Beatæ aditum, devictâ morte reserasti; da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate semper habere: ut in tempore seculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit & regnat Deus in secula sæculorum, Amen.*





8  
D  
B  
op: a  
Tom I  
N: V  
57

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

